

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 70. (Neovidensis 1808. Nro. 69.)

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos*

Joanni Georgio Stumpf in Elysio.

Ex mundo sublunari.

Elysium-Meum.-DieVeneris 9.Sep. 1808. (Neov.26. Aug. 1808.)

Quemadmodum priscae vestiendi rationes (Modæ) ex ruderibus vestiariorum Promptuariorum protrahuntur, ita vetera quoque Systemata ex Cineribus resuscitantur. Quantum quæso strepitum Systema physiocraticum non excitavit? & quanto cum strepitu per Statistas & Oeconomos tumulo illatum? & rursus caput profert.

Quod vero hoc Systema, quæ ejus forma, quis finis?

Systema Physiocraticum (in Politica) naturalem indicat ordinem in republica administranda, docetque ut libertas communis & unica contributio puro proventui fundorum imposita salutem Civitatum efficere possint. Systema quoque œconomicum audit. Ejus auctor Franciscus Quesnay, Proto-Medicus Regis Galliarum, qui primum 1757 sua principia in hoc argumento promulgavit, quemque multi in Gallia, aliisque regnis duces

secuti sunt. Præcipua & cardinalia famigerati Systematis Capita hæc sunt: 1. Irrestricta libertas civis, quasvis facultates suas, vires & bona pro suo lubitu adhibendi, iisque utendi. In hunc finem quævis impedimenta liberæ in & Evectiois, quævis restrictiones in Commercio, frugum limitationes, Taxæ Politicæ, exactiones de consumptione, Accisæ, Capitis Census, æstimationes domuum & mobilium, telonia, urburae, Coetus & societates, monopolia, Tontinæ, Vitalitia & id genus alia abroganda. 2) Sanctimonia ad continuandum usum fundorum necessariorum erogationum, hæ erogationes sunt triplices: a) expensæ in fundum, quæ ad emtionem fundorum & prædiorum, ad Cultivationem fundi, simationem & alios adparatus oeconomicos requiruntur. b) Erogationes in rei conservationem, quæ in procurationem pecoris, & suppellectilis ad Culturam soli necessariæ, ad intertentionem, mercedem famulitii usque primam messem consistunt. c) Annuæ Erogationes, quæ summas efficiunt, ab una messe ad aliam expendendas; 3) Unitas Contributionis puro proventui fundorum imposita. Id quod detractis fundi, status, & annuis erogationibus ex toto proventu fundi & prædii superest, proinde lucrum est, proventus purus audit. Hic purus proventus solus & nullus alius, absolute objectum nullum aliud, contributione affici debet, quæ tametsi a solis possessoribus cultivatorum fundorum dependatur, omnes nihilominus Incolarum Classes

adfic
quoc
quau
butio
quit.
Gene
tione
tantu
per i
tabili

possi
quid

tame
tio e
ultra
facile
nion
posit
Syste
naria
tum
bus a
retina
gunt
tio in

cum
difica
opus
pollic

adficit, quoniam hi proprietario fundi illud quod colit, emunt & consumunt. Ceterum quanta redundans ex puro proventu contributio esse debeat, id generatim definiri nequit. Aliqui circiter $\frac{2}{10}$ alii $\frac{2}{11}$ proposuere, Generatim id solum dici potest: Contributionem ex puro proventu possessori fructi tantum debet relinquere, ut in novas semper in fundum erogationes facere, & eo notabile lucrum obtinere possit.

Super hoc Systemate, ejus utilitate, & possibilitate multum disputatum, nec tamen quid decisum est.

Id constat quod institutum in modico tamen in Marchionatu Badensi, cum contributio ex puro proventu solum $\frac{1}{3}$ efficeret, non ultra extensa & continuata sit. Id quoque facile detegitur potest: multas præjudicatas opiniones, vetustas consuetudines, dispositiones positivæ legis &c. abrogari debere, si hoc Systema universim induceretur. Et in ordinaria hominum agendi ratione, vetustis, quantum fieri potest, in hærendi & in multiplicibus adjunctis, quæ hanc cogitandi rationem retinendam & conservandam svadent, & exigunt, profecto id genus præcipua Innovatio in effectum deduci nec posset.

Qua jam ratione hoc Systema denuo — cum directis & indirectis præstationibus modificata prodire debeat, id ex Statistæ, qui opus notabile in hoc argumento se editurum pollicetur, ore intelligere oportet.

Interea ex Regno Vestphaliæ sequentia de 23. hujus nunciantur.

Nemndorfio : Primæ thermæ , quibus Sua Maj. usa, prosperum habebant effectum. Spes fuit futurum : ut celeriter non minus , quam perfecte Eadem rheumaticis doloribus levetur, ad quos levandos eæ a medicis præscriptæ sunt, at inconstantia tempestatis benignum, qui sperabatur, effectum interceptit. Sux Maj. aliquot dierum mora isthic adhuc exigenda erit. Ad eam quocius restituendam pristinae valetudini Sua Majestas thermis guttatim stillantibus *Douche* utitur. Cum voluptate Osnabrugæ principe urbe Provinciæ Viurgis spes concipitur, Sux Majestati placitum eo se conferre, ad Mindenam, Herfordum & Vielefeldam invisendam, quæ commercio & Manufacturis nobiles & præclaræ urbes sunt. Ad id, ut utili & salutari negotio Rex vacet, non opus est eum præsentem esse, at id tamen novum argumentum præbet sollicitudinis, & propensionis, quo in subditoz fertur. Cupiditas videndi Majestatem eorum tam magnum est, quam hujus conatus eos felices reddendi.

Monitor noster de 20. hujus seqv. continet : Sessio Statuum Regni de 18. Aug. Sessionis diei 7. hujus non meminimus qua Status unanimis votis Planum legum intuitu Contributionis fundi rejecerunt. Quæstio movebatur : An Rex Statibus occasionem daturus sit, ab hac rejectione revertendi, aut an Majestas sola pro executione Art. 16. Consti-

tutionis cautura sit? Suae Majestati præstabilis visum, Planum legum de novo Statibus proponere, quod pluralitate 83 votorum, inter 90 vota ferentes acceptatum est. Quo pacto documentum edidit Status: rejectionem legis ex defectu solo aliquarum explicationum in hoc argumento esse repetendam; hac occasione, prout quibusvis, quæ præcesserant, dignos se tam favente opinione de eorum fervore, quam fiducia suorum committentium effecerunt.

Göttinga 11. Aug. Devastationes quas grando nudius tertius in provincia Harste, Nörden, & parte Bovendenæ intulit, admodum notabiles sunt, felici fato plurima pars frugum jam collecta est, plures pagi tantum æstivam sementem ammisere, at in Districtu Harsteno in quo ob montosum situm messis serius inchoatur, totius sementis jactura facta est.

Vindobona die 17. Aug. Vigore aulici de 14. Aug. Decreti, Sua Cæsareo Regia Maj. decrevit: ut secundum tenorem Patentium de 23. Julii a. p. & Enciclicæ ordinationis de 2. Martii a. c. jam etiam novæ Schedæ Bancales a 5 Flor. de 1. Junio 1806 locum habeant, & in vicem hodie existentium ad cursum ponantur. Ad permutationem memoratarum Schedarum cum maxima, quæ potest, quotidiani commercii integritate procurandam de præsentibus terminis eas permutandi defigitur, atque in hodierno cursu existentes 5 Flor. Bancales de 1800 tantum quot

vicibus eæ & in qua ratione & quantitate ad aeriales Cassas inferuntur, retinendæ & Schedis novæ formæ supplendæ. Ad facilitatem vero simul reddendam reuisionem in cursu adhuc constitutarum Schedarum a 10 Flor. de Anno 1800 Eadem Maj. elementer disponere dignata est: ut non modo præfixus penes Bancalium Schedarum Cassas ad reuisionem earum terminus usque ult. Dec. h. a. extendatur, verum etiam ut id genus Bancales de 1800 penes quasvis regias, provinciales, civicas & alias publicas Cassas occasione quarumvis præstationum & solutionum in vicem 31 præteriti Mensis Julii adhuc usque finem futuri Octobris incunctanter in vicem parati acceptentur. Quod eum in finem publice notum redditur, ea cum declaratione: jam etiam plenum memoratarum Patentium contextum de 25. Julii p. a. intuitu novarum Schedarum 5 Flor. de 1. Junii 1805. plenum effectum habere debere. Viennæ die 13. Aug. 1808. *Ferd. C. a Birsingen-Nippenberg* Austr. Inf. Regim. Præses. *Aug. Reichmann* ab Hordokirchen. V. Præses *Andr. Pichler* Regim. Consiliarius.

Monachio die 19. Aug. Sub 30. Apr. a. c. Regius Cammerarius & residens Minister penes Magno Ducalem Hassiacam aulam Baro a Reding legatus plena cum rerum potestate ad aulam Principis Primatis denominatus est. Die 27. Julii c. a. dignitas Coronæ Sup. aulici Magistri D. Principi Ludovico Carolo Oettingen Wallerstein, & dignitas Supr. Co-

ronæ Camerarii Principi Anselmo Mariæ Fugger de Babenhausen ceu feudum coronæ ad dies vitæ collata.

Meersburgo 12. Aug. Heri fortuna nobis fuit dilectissimam nobis M. Ducem in medio nostri videndi, excelsæque filiæ Napoleonis homagium depromendi. Post horam 10 fragor tormentorum excelsum indicavit adventum. Turmæ Civicæ in arcensi foro congregabantur, plateæ & forum facibus collustratum, & circum ædes corruscabant. Ingressus fiebat per superiorem portam & erectum in Curia Civica arcum triumphalem. Arcem ingressam Cæs. Serenitatem exceperere 12 candido vestitu puellæ, quarum una gallicosermone alloquebatur, & concinna fabricatum corbiculum venetis floribus repletum porrexit; eadem virgines flores stravere, ad Cubilia usque Serenissimi, in quo officiales ei propositi benigne excepti.

Hala 18. Aug. Nudius tertius subditi Juris olim Saxonici Comitatus Mansfeld ad Regnum Vestphaliæ relatum, Suæ Maj. Regi Vestphaliæ solenni ritu homagium præstitit.

Fertur: proxime 8000 transituros & Sa- batho adpulsuros.

B I O G R A P H I A.

Stumpf Joannes Georgius) Professor Historiæ & Statisticæ in Universitate Pressvaldensi, natus Herbipoli 1. Jan. 1750. In adolescentia factus Carthusiensis monachus, pri-

mo Herbipoli tum Erfurti isthinc Claustro erupit & aliquo tempore Inspectorem egit Philantropii Dessav. dein Ducalis Fürstenberg. Oecon. Director in arce Labriæ Bohemiæ, dein privatam vitam egit in vinariensi cum dignitate Consilarii œcon. Principis Fürstenberg, creatus subin extraord. Prof. Philosophiæ Jenæ, eo cum mandato: ut prælectiones œconomicas det, in quo munere & Exactoratu ab 1789—90 qua Redactor univ. Lit. Ephem. curam gessit. Jena 1793 in memorata qualitate Grissvaldam venit, ibidemque obiit 30 Majo 1798. Fuit vir œconomiæ intelligens & expertus, at per copiam scribendi, ad quam per angustias rei familiaris adactus, suo erudito rumori nocuit, deest quoque ejus propositioni ordo & definitio. Scripsit Historiam herbarum pabulo servientium 1786. Relationem de œconomia Bohemiæ Tomi 2. 1787. Principia germ. œconomiæ pro Concionatoribus 1793. Menstruæ Oeconomica Cameralia. Itinera 1794. Manuale & Doctrinale universæ Campestris & domesticæ œconomiæ 2 Tomi 1894. Novissimus Nucleus thesauri œconomiæ domesticæ & hortensis 1795 ter septuplex emolumentum in Cultura apum & a. p. plures quoque Dissertationes in Diariis.
